



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Sanctissimo Patri Clementi Octavo Summo Catholicae Ecclesiae Pontifici,
Ioannes Azorivs Foelicitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

SANCTISSIMO PATRI CLE-
MENTI OCTAVO SVMMO CATHOLICAE
ECCLESIAE PONTIFICI,

IOANNES AZORIUS FOELICITATEM.

NON fuit mihi, Pater Sanctissime, diu deliberandum, cuinam primos hosce libros, quos de Institutionibus Moralibus, non sine magno studio, opera, & labore conscripseram, vetere consuetudine, nostris etiam approbata temporibus, destinarem. Debebantur tuo nomini: debebantur Summo Sacerdoti: maximo Catholicae Ecclesiae Pontifici, cuius munere & officio, & auctoritate nihil est in terris Mirabilius: nihil Illustrius: nihil Sanctius: nihil Augustius. Iure optimo Christiani hominis, pro Christiano Populo continuata per multos annos literarum studia, communi Christianorum Parenti, Magistro, & Governatori offeruntur. Merito religiosi hominis, pro iuuantis in Morali studio religiosi hominibus, libenter suscepti, & alacriter tolerati labores, Summo post Christum Dominum totius Christianae religionis Capiti, Pastori, & Duci dicantur. Hoc tibi, Pater Beatissime, filius, quamvis indignus & minimus Societatis IESV, Apostolicae Sedis multis nominibus obligatae summo iure debebat. Hoc tua merita postulabant: hoc tua morum integritas, vitae probitas, officij dignitas Pontificia, Moderatio, Mansuetudo, Clementia, Religio, Pietas, & Sanctitas exigebant. Petri Sedem Apostolicam tenes. Speculae Dominicae praesides, gregem Christi Domini pascis, nauiculae regis, ouile custodis. Vnicam Dei sponsam, puram, synceram, & candidam columbam, videlicet redemptam pretioso sanguine Domini Ecclesiam, sacris fontibus irrigatam, Diuinae legis sarculo excultam, & caelestis gratiae praesidio communitum hortum, & agrum immixtis falcibus purgas, & tueris incolumem. Sacerdos es magnus, Summus Pontifex, Princeps Antistitem, Petri successor, Apostolorum haeres, Primatu, ut cum S. Bernardo loquar, velut alter Abel, gubernatione velut alter Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, Pontificatu, & vocatione tanquam alter Aaron, Auctoritate Moyses, in iudicando Samuel, in Potestate & muneris functione Petrus. Es denique, Pater Maxime, & Optime Summus in terra Christi Vicarius, caelium inter, Diuinae voluntatis interpres, Dei nuncius, vitae Magister, Christianorum omnium Pater, spiritualis militiae Dux, hostium ultor & vindex, cuius est, mores deprauatos corrigere, restituere collapsam rectae vitae disciplinam, sancire leges, decreta componere, iura & praecipua viuendi dare. Haec me, Pontifex optime, causae impulerunt, ut praeter ceteris offerre tibi hos qualescunque primos mearum lucubrationum foetus, tanquam laborum & operum primitias, auderem. Eadem nisi fallor, tuam istam Clementiam in fastigio tam excelso eminentem mouebunt, ut eos in publicum sub Augusti nominis tui patrocinio, tutelaque prodijisse patiare. Tuum erit, Pater Sanctissime, hoc in te mea obseruantiae testimonium lato vultu, & affectu paterno, ut caetera soles, tuae auctoritatis praesidio sustinere, nominis splendore illustrare, & clementiae benignitate defendere. Accipe igitur, Pater Beatissime, munusculum, multis rationibus debitum, rem quidem nulla ex parte tanta Maestate dignam, sed partem offerentis seruuli paruitati. Quod reliquum est, Beatitudinem tuam Deus immortalis, ad sui nominis gloriam, & Ecclesiae Catholicae firmamentum quam diutissime tueatur, & seruet.